

nostra incerta assertio, personas in stallo chori divinis interessentes cyrotheceis manuum inprobante consuetudine in superplicio celatae forent uti non posse, quod quidem intensae hyemis tempore aut alios ab accessu chori retrahit aut iam praesentes interdum revocare cernitur a divinis, aut saltem conscientiae scrupulum ingerit contrarium observantibus dura etiam impellente necessitate, ad cuius decisionem dubii in submotionem scrupuli medium quoddam eligentes declarando una cum capitulo nostro statuimus et ordinamus, ut praecisa deformitate pretiositate ac rugositate magnarum aut nimis apparentium, cyrotheceis parvis simplicibus et albis de lino lanave superplicio conformibus, alio non intexto colore personae ecclesiae, dummodo ad altare celebrantes non steterint, uti poterunt etiam in choro et in stallo quocumque tempore profuturo, consuetudine seu observantia alia quacumque in quantum praemissis contraria videretur habita penitus pro sublata. Datum in castro nostro episcopali Stolpin anno quo supra mensis Julii die decima quarta.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel an einem Pergamentstreifen.

No. 970. 1438. 24. Sept.

*B. Johann schreibt den auf dem Concil zu Basel versammelten Prälaten deutscher Nation, dass er die von ihnen empfangenen Befehle ausgeführt habe.*

Reverendis venerabilibusque patribus ac dominis nationis Germanicae in sacra Basiliensi synodo repraesentantibus dominis suis et promotoribus praestantissimis Johannes d. gr. episcopus Misnensis post humilem recommendationem, paratissimam in omnibus complacendi voluntatem. Reverendi venerabilesque patres ac ceteri domini honorandissimi, etsi pro veneratione sacri concilii, cui incorporationis iuramento in persona propria facto sum alligatus, ac inclitae Germanicae nationis, quam in praesens repraesentatis<sup>1)</sup>, mandata passim transmissa pronus recepi usque modo et executioni cum ea qua decuit sollicitudinis diligentia demandavi; ea tamen quae ipsummet concilium ac praefatae nationis honorem respiciunt et necessitatem tanto iocundius et celerius exequenda suscipio, quanto salubriorem finem et consummationem tam sanctorum operum, pro quibus ab initio ipsum concilium est institutum, totis praecordiis praestolor et exspecto. Tunc enim vere felicem me crederem, dum haec felicia opera in commisso populo feliciter expleta nunciare deberem. Tale autem mandatum censeo, quod pridem recepi cum scriptis dominationum vestrarum, quibus plurimi nationis praedictae et sacri concilii exponente necessitate me hortantur etc., alia eorum sunt iuxta tenorem bullae, qua constitutus fuit collector pecuniae indulgentiarum. Datum d. XXIII. Sept. M. CCCC. XXXVIII.

Unvollständig und wahrscheinlich auch ungenau in Würdtwein subs. diplomatt. VII. 179 sq.

1) nationi — repraesentantis Würdtwein.